

VIRIDANTEM PACIS OLIVAM

DVM

AVGVSTALEM

BVRGGRAVIATVS REGII

SPARTAM

VIRO

ILLVSTRI

MAGNIFICO MAXIMEQVE STRENO

GENEROSO ET AMPLISSIMO DOMINO

DOMINO

SAMVELLI

ROGGIO

CIVITATIS PATRIAE PRAECONSVLI

ET

PRAESIDI HACTENVS GRAVISSIMO

NEC NON

REI BELLICAE AC ARMAMENTARII PRAEFECTO  
MERITISSIMO

MAECENATI OPTIMO

D. XXVI. MARTII A. MDCCLIX

AVSPICATO COLLATAM

DEVOTISSIMA MENTE GRATVLANTVR

IN


VOTIS HABENT

MVSAE ELBINGENSES

INTERPRETE HV MILLIMO

IOANNE LANGIO

GYMN. RECT. P. P. ET BIBL.



ELBINGAE

TYPIS IO. GOTTL. NOHRMANNI.





pumeus imber aqua, saevisque celerrimus  
curis,

Fluctibus obscurum qui raucis fregit olym-  
pum,

Vltricique manu volucres hominesque necavit,

Subsidit tandem. Tandem sol, luminis auctor,

Nubila coelorum vicit, radiisque serenis

Vndis diluvii contactum reddidit orbem.

Tandem vexatus nimium terrore Noachus

Emisit titubans pavidam de nave columbam,

Cernendi cupidus, vento nimisque remotis

Montes incipiant fastigia tollere rursus.

Tandem lassae redit spatiosis ales in auris,

Oreque curvato tenuem fert arbore ramum

Palladia cerptum, ramum viridantis olivae,

Numinis orati testem, pacisque magistrum

Optatae. Facies quae terris inde renascens!

Dulcia quae fessis rerum solatia! Quaeque

Placato coelo laetandi splendida messis!

Iam pater, haud dubius pacis, telluris amore

Captus flagranti, referat sua limina laetus,

Et madidae sequitur primus vestigia terrae.

Iam focii, viridem gratulantes pacis olivam,

Egressi teneram tendunt ad sidera palmam,

Atque deo lapidem, multo qui fumat odore,



Fronde coronatum ponunt: iam culmina terrae,  
Iam vallem umbrosam, fluvii jam littora opaca  
Tectis egressum quaerit genus omne ferarum,  
Solis ut ardentis molli dulcedine captae  
Candida lauricomae potiantur gaudia pacis.  
O utinam & nobis mox arrideret olivae  
Tempus, civibus optatum, gratumque Camoenis!  
O si nostra quies, roburque decusque potentis  
Europae tandem, ut fortuna Noachica quondam,  
Omnibus ex voto terris populisque redirent!  
O si Nam fatis humani jam prata biberunt  
Sanguinis, ac pressae ventis, Martisque procellis  
Gentes usque sat in lacrimas ivere cruentas.  
Vos testor celebres, flammis ferroque subactas  
Urbes Teutonicas: testor loca sanguine clara:  
Germanae patriae testor camposque pagosque,  
Fulmina quos belli, (en tantorum causa malorum!)  
Horrifona feriere ruina, & multa virorum  
Millia terribili morientum clade notarunt.  
Quis caedem Lovositzensem? Quis funera Pragae,  
Stragem Velaviae, Rosbachica tela cruenta?  
Quis nostrum, o Zorndorff, victorum corpora fracta?  
Quis cladem illius noctis, quae Hochkirchica tecta  
Signavit tumultis heroum ac morte virorum?  
Praelia quis dubiae fortunae caetera fando  
Explanare sat; aut lacrumis aequare labores  
Belli quis potis est? Praestat componere fluctus  
Verborum, hacque de v. m. venerari voce Maronis:  
Poscimus orantes peramoenae pacis olivam!  
Poscit & optatam te pacem Prussica tellus!

Quid quod si nostris aeternus pacis amicus  
Annueret votis, fessos reficique quiete  
Armigeros cuperet? Quid si caduceus arma,  
Si toga laxa sagum sequeretur sanguine pictum,



Serraque pro galea redimirent tempora olivae?  
Si, **TE BVRGGRAVII** nomen fascesque tenente,  
Nuntius optatae redeat per regna, per urbes  
Pacis, nonne **TIBI** hoc gratum, Patriaeque serenum  
Effet? Nonne **TVO, MAECENAS**, nomine dignum?

Dux **TU** noster eras, noster **PRAESSES**que Caputque,  
Caetera quem lubens Drusorum turba sequuta est:  
Iam vero illustres etiam summosque capeffis  
Primum **BVRGGRAVII** titulos, & Regius **Atlas**  
Civibus ac Musis praebes auspicia fausta.  
Nam his **TVA** religio, in Patriam **TVA** merita constant:  
Constat in Aonidas affectus: constat & oris  
Suada decora **TVI**, placida gravitate polita.  
Porro **TVAE** egregiae quam promptum mentis acumen,  
In rebus dubiis quae sit **TIBI** cura juvandi,  
Nomen amicitiae quam sanctum, justitiaeque  
Quam **TIBI** jura fient constantia, nec fugit illos.

Hanc ergo tenuem, precor, ne despice vocem:  
Maecte **TVIS** titulis, **MAECENAS, ROGGIADARVM**  
**OPTIME**, quodque **TIBI AVGVSTISSIMVS** ipse Poloni  
**REX** populi **AVGVSTVS** sacrum plaudente **SENATV**  
Imposuit, munus felici fidere sanus  
Suscipe, susceptum meliori denique pone.  
Fortunet **TVA** coepta **DEVS**. **DEVS** augeat Ipse  
Corporis ac animi vires, & cuncta secundo  
Successu jubeat Patriae decurrere facta,  
Quo Drusis, gravibus belli subtracta periclis,  
Agnoscat, nostris quod rebus militet aether.  
Sic **TIBI** curarum fructus, **VIR STRENVE**, semper  
Gratia **REGIS** erit, nomen, laudesque paratae.  
Sique per Europam instanti (faxit **DEVS**!) anno  
Arma videremus tandem seposita virorum:  
**BVRGGRAVIALIS** honos omni celebrabitur aevo,  
Nosque **DEO**, pacis Domino, pacana canemus.